

VITAM  
 VIRTUTES ET MERITA  
 VIRI  
 MAGNIFICI NOBILISSIMI  
 AMPLISSIMI  
**MARTINI DORNER**  
 CONSULIS.

DE INCLYTA REPUBLICA HAMBURGENSI  
*OPTIME PROMERITI*

D. XI APRILIS CLOCC XCVIII PIE DEFUNCTI

1748

EX

**AMPLISSIMI SENATUS**

DECRETO

PUBLICO NOMINE EXPONIT

ANT. AUG. HENR. LICHTENSTEIN,

S. S. TH. ET PH. D.

L. L. O. O. PROFESSOR P. BIBLIOTHECAE PUBLICAE

PRAEFECTUS,


ET HOC ANNO GYMNASII,

JOHANNEI VERO PERPETUUS RECTOR.



HAMBURGI

LITTERIS CAROLIS WILHELCI MEYN, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII  
 ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.



**E**xtra omnem dubitationis aleam positum est, maiores, cum illum  
 constituerent morem, ut, quoties viri, eminentioris alicujus mu-  
 neris auctoritatē in hac inclyta urbe pollentes, diem supremum obirent,  
 eodem anno Rectoris officio fungens, Professor Gymnasi, eorumdem  
 virtutibus ac meritis publico nomine monumentum erigeret; praesertim  
 id egisse, ut juventuti hoc facto consulerent, quam praeclaris atque  
 illustribus exemplis imitandi causa propositis ad gnaviter agendum exci-  
 tatum iri, merito arbitrabantur. Nihil enim profecto teneros adoles-  
 centium animos vehementius instigati, quo diligentius omnes mentis  
 pariter atque corporis nervos intendant, olim reipublicae utiliter inser-  
 vituri, quam laudes civium, quos praeter ceteros egregiae indolis ac  
 virtutis gloria clarere meminerint. Aliquanto vero magis prodest enar-  
 ratio talis vitae, quae docet, recte collocatas ingenii dotes, sanctaeque  
 honestatis alacre studium, non modo semper internam largiri animi  
 quietem; verum etiam saepe suos cultores industrios, externo quodam  
 rerum gestarum splendore, et munerum seu magistratum curulum  
 claritate exornare. Hoc modo unum reipublicae lumen alterum incen-  
 dere, atque e prioris phoenicis quasi cinere, alter sequior plerumque  
 exoriri solet. Propriae experientiae fidā vicaria, eademque optima vitae  
 magistra, historia testatur, ubique fere in universo terrarum orbe, plu-  
 rimos cives patriae utilissimos, ad imitationem pri scorum antecessorum  
 exstisile.

## IV

exititisse. Themistoclem quidem, vix egressum ex ephebis, Miltiadis victoria, quam apud Marathonam, Persarum minas reiiciens, reportaverat, in Stoa seu porticu Poecile dicta summorum artificum penicillo graphicē expressa, dormire prohibebant; donec et ipse militari disciplina excutus, non modo Persas, verum adeo Miltiadē bellicis laudibus devicerat. Nae ille haud solus vigilavit ob acres inquietae aemulationis stimulos, qui noctu aequē atque interdiu in generoso excellentissimi cujusque ingenii pectore fixi, versare illud neutquam cessant, usque, dum ad virtutes laudesque maiorum aequandas erexerunt. Honesta illa iam ab Hesiodo laudata aemulatio praeferit exsistit, ubi docemur, aliquem internis modo ingenii et virtutis opibus adiutum, nullis admodum generosae prosapiae, vel grandium divitiarum adminiculis fretum, ad summos usque in sua patria honores fuisse evectum. Tunc enim laetior spes vel in tenui re familiari nutritos adfulget, fore, ut sibi quoque olim continat, pari morum severitate, parique vitae industria ad idem decoris culmen felici omniē prosperoque eventu adspirare.

Omnia, quae hactenus proposui, curate quadrant in Viruim Perilustrem et Magnificum MARTINUM DORNER, Consulem Hamburgensem, de Republica patria in genere, et de innumeris privatis hic vel alibi degentibus aeternum promeritum, cuius vitam plurimis virtutibus quas nullum vitium unquam contaminavit, exornatam, nunc breviter enarrare meum erit.

Natus ergo fuit hic ibidem Hamburgi die 3. Augusti A. R. S. CCXXVIII. Patrem habuit *Nicolaum Dorner*, mercatorem, neq; negotiorum mole neque opulentia admodum celebrem, matrem vero *Annam Catharinam Neukirch*, omni sexus sui virtute ornatissimam. Quamvis ergo ex honesta, neque ullo modo poenitenda, familia oriundus fuerit, neutquam tamen postmodo adeptos honores natalium splendor debuit. Nisi enim egregia indolis excellentia, item fide atque adsidua industria, quacum in variis vitae negotiis versatus est, multorum hominum gratiam et benevolentiam promeritus esset, vero simillimum est, eum per universam vitam in illa mediocritate mansurum fuisse, ad quam pro exigua domesticarum opum ratione natus esse videbatur. Non potest fieri, quin prima educatio, qua noster *Martinus Dorner* per tenerrimos adolescentiae annos gavisus est, perquam sollers fuerit ac liberalis, etiam si parum constet, utrum praceptorum cum sit nactus, ornatissimo seni *Johann Jacob Bode* similes, qui laudibus egregij filii *Joan. Elert. Bode* Professoris Berolinensis, Astronomici celeberrimi, vel apud exterōs claretib; hic Hamburgi vero non modo propter alias quoque liberos talibus parentibus, qualis ipse est, et proba coniux, quacum nunc per quinqueaginta tres annos felix et concors matrimonium colit, dignissimos, veruni etiam propter solidam arithmetices et reliquac matheeos cognitionem, qua tradenda

tradenda nunc ultra sexaginta annos de innumeris viris inter quos haut pauci negotiatores primarii sunt; maximopere promeritus est. Vix credibile est, ingenuos mores, quos vir humanissimus Consul *Dorner* sine ulla affectatione vel primo aditu cum nativa quadam gratia manifestabat, folius indolis aut feri studii opus fuisse. Apparebat potius ex ipso vultu, e gestibus atque diserti sermonis facundia, eumdem a teneris unguiculis elegantium hominum confortio interfuisse. Item ex ejus alaci amore erga sanctam religionem, item erga bonas litteras linguis atque artes, haut iniuria colligere mihi videor, nostrum ab ineunte aetate minime perfunctorie illas disciplinas excoluuisse, quas iuvenes mercaturaे olim vacantes, prudenter futuro curriculo consulturi, minime negligere consueverunt, etiamsi parum contigerit mihi investiganti omnes et singulos magistros reperire, qui talem tantumque virum, donec puer erat, singulas linguas artesque docuerunt.

Simul atque aetatis robore fretus, ipsa mercaturaे negotia capessere decreverat, eidem familiae sese tradidit, cuius adfinitate postea opes atque honores adeptus est. Intravit nempe domum Viri ornatissimi *Nicolai Persent*, opulenti, ut tum res erant, atque spectabilis negotiatoris. Ibi quidem strenue perfunctus est omnibus officiis, quae illo aevi a tyronibus exigebantur. Tantum vero absuit, ut animus *Dorneri* molestiis exercitae conditionis fatigatus frangeretur, ut potius pro generosa indole ab ipsis laboribus vires adsumeret. Inde factum est, ut patronus e tirocinio quasi manumissum a se alienare nollet, verum potius honesto stipendio auctum inter collaboratores adscisceret. Sic iuuentum strenue fungendo negotiis, quae Vir spectabilis et prudens *Persent* ipsi demandaverat, consumxit. Quum vero ille diem supremum obiret, ac filiorum eius alter, qui mercaturaे operam navaturus erat, nondum eam aetatis maturitatem obtinuisseisset, ut ipse iam posset gubernacula negotiorum dirigere; inter alios *Dornerus* noster, utpote familiae huius alumnus, diuque in illa domo versatus, a tutoribus constitutus est, qui continuaret mercantilia pie defuncti patrini instituta, in succrescentis *Persentianae* sobolis emolumendum. Tanta fide tantaque sollertia tunc temporis in hac vicaria quasi opera versatus est, ut remuneratione iucundissima pariter atque honorificentissima diuturni prosperique laboris dignus haberetur: nempe cui anno circio CCLXIII virgo, animi, corporis ac fortunae largiter locuples *Hanna Persent*, saepe laudati magistri et fautoris filia; nuberet. Quanta concordia, et quam intimo amore uterque coniux, hoc felix matrimonium coluerit, id quidem norunt omnes, quotquot nobile par, virtute morumque suavitate gemellum, proprius cognoverunt. Liberis quidem numquam gavisi sunt ambo condigni maritalis thori socii, neque adeo illa umquam prolis exspectatio eos frustrata est. Ceteroquin ita tenerrimo animi affectu alter alterum venerabantur,

## VI

bantur, ut universae civitati exemplum religiosae fidei, et indulgentissimae unanimitatis, imitatione dignissimum exhiberent. Nec tamen propria vel perpetua fuit usque ad suam mortem *Dornero* haec felicitas. Namque erepta illi est exoptatissima uxor, acerbo et prematuro fato d. viii Maii a. c. 1584. Adeo aegre tulit hanc iacturam, ut postquam maturior vis illam partem animae suae abstulerat, vix unquam pristinam hilaritatem recuperaret, verum potius probam illam serenamque frontem, omnibus, ut quisque obveniret, humanissime adidente, obscura quaedam tristitia ac doloris frustra caelati nubecula tegeret.

Interea vero, quum amans, quod amare iuvaret, feliciter arderet, gavisus est, ventoque suo usque navigavit. Prospere enim illi negotia pie prudenterque coepit successerunt, quae quidem a mercionibus ratione a socero sibi tradita dividendis paulatim ad mensarum operas, quas cambiales vocare solemus, ita extendere coepit, ut denique mandata potentissimorum imperatorum, regum et principum curiae fidei que ipsius committerentur.

Nec latuit alacris *Donneri* virtus atque industria in variis functionibus civilibus, quas hic singulatim enumerare longum foret, neque est huius nostri instituti, Senatum Hamburgensem Amplissimum, qui viros adsiduos, ingenio consilioque pollentes sibi adsciscere amat. Cooptavit ergo illum ordo splendidissimus et Senatorem elegit a. d. 1582 Febr. c. 15. haud quam adfectantem honores, verum potius vehementer abhorrentem a munere laborioso diuque frustra reluctantem electioni. Neque hoc simulationis fuit superbiam sub praetextu veretur dae modestiae regentis. Quum enim leges Reipublicae Hamburgensis ferant, ut civis munus, ad quod legitime electus est, suscipere pertinat, diligitans, decima opum parte detracta, urbem et eius agros intratriduum relinquere cogatur: cooptulit noster ultroneam decimationem, dummodo sibi privato in patria manere liceret. Quod nulla ratione impetrans, impigre subiit omnis; ex amore negotiorum recusatum, ac tam diligenter pertulit labores, quos serio aversatus fuerat, ut pauci provincias misere exoptatas & ambitiose quaesitas aequo studiose amare soleant, atque hic noster *Dornerus* ornavit Spantam, unde citra dissimulationem abhorruit. Nolui factum hoc neutiquam incertis umbraticorum hominum rumoribus, sed manifesta universae civitatis conscientia tradidit, silentio praetermittere, quum solidam boni vereque popularis civis virtutem clarissime illustreret, qui id, quod haud temere, sed gravibus rationibus adductus, ob rem familiarem propriam nollet postulantem patria, non modo voluit, sed ita voluit, ut licet re ipsa coactus esset, ab invente aetate quam ardentissime concupisse ac se se ad hoc munus diligenter praeparasse, videretur. Obiit itaque omnes functiones senatorias, magna dignitate illis praefuit. Inter has praesertim nobis hic in censum venit Musa-

Musagetæ sive Scholarchæ, ut vulgo audit, provincia. Quam quem admodum gesserit, infra opportuniore loco exponam. Solummodo præturam urbanam declinare sustinuit, in hac civitate, praeter incolarum summam frequentiam, tot nautarum aliorumque saepe turbulentorum peregrinantium agminibus adfluentem, ne dicam laborante, sane molestissimam, et quae virum alioquin negotiis occupatum adeo distrahit ac divexat, ut multorum Senatorum optime de republica pröméritorum necem accelerasse non sine quadam probabilitate ex vulgari opinione et fama, vel certe iussitante ruino, plerumque putetur atque prohibetur. Nihilo secius præturam paganam sive rusticam gesit, quae, utpote minus onerosa, fructuosior vero et aequa honorifica, haud facile Senatori, nisi prætor urbanus antea fuerit, in partem cedere putatur; quinimo a. c. 10 cclxxxviii a. d. viii Februarii cum magna civium laetitia in locum pie defuncti *Dorneri* Consul Magnificus Reipublicæ in hac libera civitate imperiali creatus est. Summum hunc honoris civilis gradum, ultra quem civem Hamburgensem adspirare, nisi nefas et impium, minime certe populare foret, incredibili adsiduitate, fide prudentiaque, non adscendit modo, verum etiam maseule defendit. Verumtamen haud diu ultra decennium Consulatum gesit. Numquid dum commercium totius emporii patrii, suumque proprium maxime florebat, dum multi Principes *Dornerum* pro fidò negotiorum argentariorum gestore adamabant, vires derepte ipsum deserebant, atque sic opinione celerius deficiens, post paucas hebdomades, quasi adversa valetudine transegerat, ereptus est patriæ multisque privatis, quos non modo consilio et opera, verum etiam opibus quam liberalissime iuverat, die Jovis, qui erat xii Aprilis a. c. 10 cc xlviii hora antemeridiana xii<sup>th</sup>. Verum de morbo atque ultimis fatis pie defuncti agite audiamus artis peritum differentem, nimurum Virum experientissimum, praeclarissimum atque doctissimum *Dietericum Munsen* Med. D. cuius relatio, quam perbenigne mecum communicavit, ad verbū ita sonat:

"Vt cunque inopinata fuerit civibus acerbissima jactura, quam civitas Hamburgensis fecit, amittendo Magnificum Consulem *Dornerum*: equidem est, quod candide fatear, me iam diu tacite apud me ipsum perquam sollicitum fuisse circa eiusdem valetudinem, neque cessavisse, quin pro amici medicique officio ipsum admonere, ut sollerterem sanitatis curam iusto modo susciperet. Quindecim circiter anni sunt, ex quo sibi me adscivit medicum. Jam ab illo inde tempore e variis symptomatibus verebar, ne chronicus morbus illi minaretur. Cui ut occurrerem omnem operam navanti mihi contigit, ope convenientis diaetae aptorumque remediiorum ipsum adeo salvum ac sospitem servare, ut per longum illud spatiū vix umquam morbi causa lecto adfixus fuerit. Quod si huius viri longiore vita dignissimi prævalidam ad gravissima negotia

## VIII

“ negotia propensionem; vigilem semper aliquid maioris momenti agendi  
 “ curam, sollicitudinem ac moerorem circa et post mortem dilectissimae  
 “ conjugis, porro solitudinem vitae, in qua omni relationi, et qual-  
 “ cumque amoenitatum fructui valedixerat; quodsi, inquam, publicos  
 “ eius labores in usum reipublicae, cui cum fide atque honestate summa  
 “ inserviebat, quodsi immensam molem negotiorum mercantilium, qui-  
 “ bus adsidue fungebatur, reputaveris: profecto mirandum est; praeser-  
 “ tim medico harum rerum gnaro, quod sub tot tantisque animi et corpo-  
 “ ris molestiis fatigatus aetatem eo usque provexerit.

“ Sub initium anni clo I c c xcvi moliminibus podagricis affectus  
 “ est; quae licet aeger debita quieti et curae manus victas dare detrecta-  
 “ ret, nihilominus tamen more solito cedebant. Mense fere antequam  
 “ diem supremum obiret, motus febriles post coenam notabiliter incres-  
 “ centes sensit. Impensisimae adhortationes, quibus obtestabar, nihil  
 “ valuerunt, quo domi manere decerneret. Curiam atque emporium  
 “ adire perseveravit; levius, quam re ipsa erat, makum arbitratus. De-  
 “ nique vires manifesto prostratae cogebant ipsum diaetam servare. At  
 “ vel tunc fatigabat corpus ultra licitum, et arduum negotium erat, illum  
 “ adigere, ut remediis rite uteretur. Novissimis diebus febris ingruere  
 “ vires magis magisque deficere, aplithae os et linguam oppdere, i respi-  
 “ ratio angis, simul diarrhoea colliquativa oriri. Sic denique placide diem  
 “ supremum obiens consopiebatur Vir omnibus civibus carus, et post  
 “ vitam, alacri studio peractram adsiduisque laboribus occupatam ad  
 “ aeternam quietem intravit.”

Jam nobis restat, ut, quandoquidem instar Epaminondaē nullam  
 prolem a semet ipso procreatam, praeter virtutis ac rerum egrégie gesta-  
 rum laudem reliquit, omni encomio maior *Dornerus*; amabilem Vii  
 Magnifici imaginem succincta delinéatione adumbremus. Quod ergo  
 primum corporis formam attinet; citra athleticam proceritatem, statuta  
 mediocris, ob iustum membrorum proportionem atque elegantem om-  
 nium partium convenientiam, non carebat virili quodam decoro, aucto-  
 ritatem Senatoriam et Consularem in publicis functionibus incredibiliter  
 adiuvante. Recte enim profecto Romanus ille Consul, philosophorum  
 atque oratorum non modo sui verum omnīs aevi facile princeps, vitaque  
 humanae haut quam sordidus arbitri Cicero ait: pulchritudo corporis  
 apta compositione membrorum mover oculos, et delectat hoc ipso, quod  
 inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt. Quo quidem in  
*Dornero* nostro accessit rectus vigor, virtute et abstinentia ab enervante  
 libidine ad senilem usque aetatem integer servatus. Onus quidem Aetna  
 gravius iam per se ipsa senectus est et habet: verum tamen sive  
 palmae sub imposita mole incurvari negantur, interno quasi quodam  
 robore suffulta; ita recti vitae cultus nervos ultra solitum aetatis spatiū  
 roborant.

roborant; neque committunt ut pueritia adolescentia et iuventute pudice castaque consumta, praepropere festinet canosque tante verrat decrepita caducitas, contra potius crudam viridemque sustentant senectutem.

Vultus fere semper idem eademque frons nativam oris probitatem sereno fulgore illustrabat, in tantum, ut noster merito vel iam proiecta aetate pulchris viris adnumerari posset. Forsan me favor et gratia fallit, quippe qui patrocinio senum praesertim per viginti et quod excurrit annos in hac urbe ab uno honorum gradu ad alterum evectus sum: sed videor mihi omnino observasse, minus Hamburgi, quam alibi, aetate proiectos omnium ordinum homines, praesertim verot optimates viros, faciem ad severitatem rigidam componere, frontemque sulcorum austерitate corrugare. Unde hoc fiat, in universum hic quaerere distuli, nec scire licet omnia, quanquam ipsa civilitas, ad quam per liberam reipublicae constitutionem senes invitantur, praeter delicias ampliae saturaeque urbis, quales multa exolescentis vitae incommoda levant, vel certe leniunt, multum huc profecto valet. *Dornarus*, certe praeclarum existit humanitatis, e linea mentorum conformatioне eluentis exemplum. Quam ob rem, licet post optimae coniugis obitum, uti iam supra monuimus, rarissime animi hilaris, attamen semper accessus faciles ac gratiosos praestans adventantibus quilibus cunque, primo statim obtutu cunctos clientes ita lumen placidorum iubare adfulsit, ut vix primulum innotescentes ipsum promerendis hominibus natum esse, repente decernerent. Dotibus hisce a natura insitis, accessit prompta disertaque facundia. Similatqne aliquem de ullo negotio publico privatoe, probabiliter differentem audiverat, non modo eius mentem animique intentionem opinione celerius percipiebat, verum etiam quid et quomodo sibi respondendum esset, praefeo habebat. Hinc suę inutili proprii alienique temporis dispendio, morem antiquum obrinuit, neminem conventorum excludendi, praesertim talem, quem semel norat expedite loquentem, nec citra verecundiam cunctantem. Perspicax, illigerat ingenii acumen, praecipue mores atque indolem hominum rapide discerat; neque indignos facile umquam sovit, aliorumve tutelae commendavit. Verum id quidem aliquanto magis praedicandum venit aestimantibus, quod ante Consulatum multis profuit, dum tribules ambiendo puncta ferre iuvit. Novissimis annis a commendationibus candidatorum, honores qualisque querentium fere prorsus abstinuit, utrum ingratu quorumdam animo offensus, an veritus, ne auctoritate consulari honestissime quaesita videretur abuti, an vero ulla alia causa impulsus, parum liquet. Confortia nunquam sollicite coluit, gnayiter laboribus inhaerescere ab adolescentia inde consuetus; Convivia vero, praecipue sub ultimum vitae spatum, quantum honeste fieri posset, plane evitare studuit. Unam solummodo soditatem adamayit, quam aliquot viri, multis nominibus primarii iniverant, ut primo die Jovis unius cuiusque mensis invicem communiter vira fruerentur.

## X.

rentur. Ceterum raro iucundam alioqui praesentiam suam impertivit amicis invitantibus; non modo quod negotiis quam voluptatibus tempus impendere mallet; sed etiam qui frugalitatem inter virtutes reliquas coluit strenue; nec epularum nec potationum deliciis ullo modo deditus. Etenim quo mentem semper liquidam ac serenam fervaret; tot tantisque privatis pariter atque publicis negotiis intentam, utebatur leviore cibo vinoque, ne ventriculi cruditas unquam animi aciem praestringeret. Nec ludo neque alia longiore damnosave recreatione utebatur, unice brevi equitatione plerumque matutina, saepe antelucana, corpus exercens. Post actos labores item solis festisque diebus in perlegendos utiles libros incubuit, ne litteratura, quatenus illam studiis amplecti deberet aut vellet, novissima, ipsum lateret. In quo quidem vel alii minus severi negotiatores Hamburgenes litteratis hominibus exemplum imitatione dignissimum praefuerunt. Dornierus neque antiquam eruditionem contempsit, et donec inter scholasticae rei proceres fuit, tum omni alia ratione fautorem humaniorum litterarum se se exhibuit, tum praesertim examinibus Johannei vernis atque auctum malibus haud perfectorie interesse confueuerat. Non sine quodam grato dolore eius recordor, quod patientissima audientia et curata attentione praeciptores aequa atque alumnos, ea tempestate frequentes, mirifice iuvaret, atque ad gnatiter fungendum officio excitaret. Nunquam illum vidi cum vicino ad sefore tali occasione confabularem, aut alioqui cessantem, quin semper hoc ageret. Neque hoc solummodo exempli causa fecit, quo adolescentes moneret, magistrorum quaestionibus vacivas aures praebere, sed propria spontaneaque sollertia impulsus. Memini enim, quum post primos Montgolferiorum conatus chemici Francogalli sic diuersas aerostaticas machinas primulum commenti essent, me in examine tractare locum in Tusculanis quaestionibus, ubi Cicero ait, animos hominum ideo post mortem sublimis in coelum sursum ferri, quod ex igneo aere constent, idque inihi ansam praebere, ut circa physicas antiquitates paulisper discurrerem; tunc postea comperi, Dornierum ea, quae in Johanneo a me discussa adivisset, cum honorifica mei qualiscunque ingeniali mentione inter amicos quam curatissime repetivisse. Sed existant alia clara patrocinii, quo ille litterarum studia fovere solebat, documenta. Et enim, quum triennio abhinc, suadente aliquo litteris maximopere propitio negotiatore, pie defunctus Giseki Med. D. Gymnas. Professor et Bibliothecarius primarius, mecum unam, pro comparandis utilibus libris, publicae Bibliothecae complemento interfervuris apud locupletes et munificos mercatores Hamburgenes symbolas colligeret; noster hic Vir, non merito titulo verum re ipsa propriisque factis Magnificus Dornierus ampla dote nos auxit, aliisque civib[us] exemplum praebuit, aemulationem tantam excitaturum, ut non euidem, sub auspiciis & moderamine Viri Perillustris & Consultissimi Senatoris Widow J. U. L. Musagetarum in hac urbe nunc Praesulis dignissimi, ipse splendida quaedam et utilia eruditorum


librorum opera Bibliothecae adseiscere, verum adhuc probabilem praesentis pecuniae summulam, pro continuandis librorum etiam nunc parum completorum emtionibus, relinquere potuerim. Haud abs videtur, hanc opportunam sibi me ultra offerentem ansam arripere, quo pie defuncti Consulis memoriam recolens, tot aliorum quoque Maecenatum liberalitatem hic publice quasi praedicare sustineam, qui secundarunt egregium *Dorneri* consilium, vel hoc modo lucri temporum opportunitate oblati particulam litterariae inopiae dicando, seris quoque nepotibus thesauros, intractis Arandum gazis opulentos, recentiorum augmentarum claritate exornatos tradere. Adolescentes litterarum studiis operam navaturi eumdem hunc *Dornorum* nostrum egregium fautorem experti sunt. Licet enim stipendiiorum antiquitus fundatorum neutiquam diribitor esset, e privato tamen censu tam largiter illis erogavit dotem potius, quam stipem, ut nimis rigidi censores vix, ac ne vix quidem, a reprehensione sibi temperarentur. Quae quidem ratio latius patet. Namque tot viuas, tot orphanos, tot alios omnis ordinis atque aetatis homines, tenet familiariter ob manifestam vel claudescitnam inopiam, laborantes, sustentavit, aluit, immo saginavit, ut invidi modestiam, qua Christi disciplinam strenue servans, non mode moleste sedulos arbitros, verum semet adeo ipse celaret, pavidum profusae comitatis pudorem auferarent. In quo mala mens malas animus generis, quod humanum se dicere praesumit, foede cernitur. Utetunque enim ditissimus quisque negotiator, praesertim orbus, vixerit, haud sane effugiet, quin a malevolis, qui laboriose plerumque partas opes limis oculis adspiciunt, vel avaritiae vel luxuria nota inuratur. Haeredes sunt saepissime justiores, quam otiosi scurrae. Quamvis enim horum profecto unice refert, utrum defunctus amplam gazam an breviorem censem relinquat: plerique tamen justo dolore justa persolventes vita privatis adfinibus cognatisque officia, qualemcumque praesens Mercurius offert, lucellum aequi bonique faciunt, nec vituperantes magnopere attenuantem opes liberalitatem, neque ultra licitum applaudentes triparci senis, qui oretenus plenis crumenis invigilaverit, sordibus.

Quam incertae sint omnes mundanae opes, nemo frequentius videt, vel praesertim persuasum sibi habet, quam negotiator classicus, sive primi ordinis. Inde exsistit ~~reprobatur~~ illud, quod mercatores, praecunctis aliis mortalibus, lucri soleant cupidi, iidem nihil secius liberalissimi, et pecuniae negligentes, ne dicam confemtores reperi.

Multa quidem adhuc restant, quae de excellente *Dorneri* indole, atque de ejus egregie factis merito praedicare possem. Sed sufficient hae paucae pagellae, quas piis manibus, inferiarum quasi loco, dicare meum fuit. Gaudet nunc animus, Dei atque humanitatis amantissimus, liquida recte factorum conscientia; solidoque fructu germanae fidei et probitatis; gaudet memoria grata, quae illi donec Hamburgum florebit, aeternum inquam! superstes.

## XII

superstes erit. Curatam vitae, quam egit, egregiae descriptionem digniori biographo, huic tali vix defuturo, relinquam. Jam ex hac succincta delineatione apparebit, quam iusto dolore moereat civitas, ob amissionem tanti viri, tanti Consulis. Recreatur tamen illa beateque reficitur successore eiusdem dignissimo Viro. Magnifico *Daniele Lienau*, qui inde a die ix Februario 10 CC LXXXI, ubi Senator electus est, patriam et provinciam honestissimis consiliis rexit, eamque ob causam cum ingenti civium applausu Consul in *Dorneri* locum suffectus est. Habent profecto litterati quoque homines; cur de tali Consule laetentur ac tripudient; namque est egregius priscae et recentioris litteraturae arbiter, et ipse litteris a pueritia inde adsidue imbutus atque enutritus. Fauxit Deus T. O. M. ut ambo, novus hic Hamburgensis reipublicae Consul, itemque in eius locum electus. Vir amplissimus Senator *Martinus Johannes Jenisch*, patriae multis nominibus egregie carus, cum toto Senatu atque omni civitate Hamburgensi diu sospites vigeant. Fata quidem ad natale solum revocantia, ab urbe me auferunt, ubi domicilium habere, merito pro ingenti providentiae favore censemur; at ita de me rebusque meis eadem promerita est, ut nemo facile arctioribus grati animi vinculis eidem adstrictus impensius in partem prosperorum, quos adprecari fas est, successum venire, vel Summum Numen ardenteribus votis pro eiusdem incolumente obtestari, pieque adorare debeat, quam ego.



15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
8010  
8011  
8012  
8013  
8014  
8015  
8016  
8017  
8018  
8019  
8020  
8021  
8022  
8023  
8024  
8025  
8026  
8027  
8028  
8029  
8030  
8031  
8032  
8033  
8034  
8035  
8036  
8037  
8038  
8039  
8040  
8041  
8042  
8043  
8044  
8045  
8046  
8047  
8048  
8049  
8050  
8051  
8052  
8053  
8054  
8055  
8056  
8057  
8058  
8059  
8060  
8061  
8062  
8063  
8064  
8065  
8066  
8067  
8068  
8069  
8070  
8071  
8072  
8073  
8074  
8075  
8076  
8077  
8078  
8079  
8080  
8081  
8082  
8083  
8084  
8085  
8086  
8087  
8088  
8089  
8090  
8091  
8092  
8093  
8094  
8095  
8096  
8097  
8098  
8099  
80100  
80101  
80102  
80103  
80104  
80105  
80106  
80107  
80108  
80109  
80110  
80111  
80112  
80113  
80114  
80115  
80116  
80117  
80118  
80119  
80120  
80121  
80122  
80123  
80124  
80125  
80126  
80127  
80128  
80129  
80130  
80131  
80132  
80133  
80134  
80135  
80136  
80137  
80138  
80139  
80140  
80141  
80142  
80143  
80144  
80145  
80146  
80147  
80148  
80149  
80150  
80151  
80152  
80153  
80154  
80155  
80156  
80157  
80158  
80159  
80160  
80161  
80162  
80163  
80164  
80165  
80166  
80167  
80168  
80169  
80170  
80171  
80172  
80173  
80174  
80175  
80176  
80177  
80178  
80179  
80180  
80181  
80182  
80183  
80184  
80185  
80186  
80187  
80188  
80189  
80190  
80191  
80192  
80193  
80194  
80195  
80196  
80197  
80198  
80199  
80200  
80201  
80202  
80203  
80204  
80205  
80206  
80207  
80208  
80209  
80210  
80211  
80212  
80213  
80214  
80215  
80216  
80217  
80218  
80219  
80220  
80221  
80222  
80223  
80224  
80225  
80226  
80227  
80228  
80229  
80230  
80231  
80232  
80233  
80234  
80235  
80236  
80237  
80238  
80239  
80240  
80241  
80242  
80243  
80244  
80245  
80246  
80247  
80248  
80249  
80250  
80251  
80252  
80253  
80254  
80255  
80256  
80257  
80258  
80259  
80260  
80261  
80262  
80263  
80264  
80265  
80266  
80267  
80268  
80269  
80270  
80271  
80272  
80273  
80274  
80275  
80276  
80277  
80278  
80279  
80280  
80281  
80282  
80283  
80284  
80285  
80286  
80287  
80288  
80289  
80290  
80291  
80292  
80293  
80294  
80295  
80296  
80297  
80298  
80299  
80300  
80301  
80302  
80303  
80304  
80305  
80306  
80307  
80308  
80309  
80310  
80311  
80312  
80313  
80314  
80315  
80316  
80317  
80318  
80319  
80320  
80321  
80322  
80323  
80324  
80325  
80326  
80327  
80328  
80329  
80330  
80331  
80332  
80333  
80334  
80335  
80336  
80337  
80338  
80339  
80340  
80341  
80342  
80343  
80344  
80345  
80346  
80347  
80348  
80349  
80350  
80351  
80352  
80353  
80354  
80355  
80356  
80357  
80358  
80359  
80360  
80361  
80362  
80363  
80364  
80365  
80366  
80367  
80368  
80369  
80370  
80371  
80372  
80373  
80374  
80375  
80376  
80377  
80378  
80379  
80380  
80381  
80382  
80383  
80384  
80385  
80386  
80387  
80388  
80389  
80390  
80391  
80392  
80393  
80394  
80395  
80396  
80397  
80398  
80399  
80400  
80401  
80402  
80403  
80404  
80405  
80406  
80407  
80408  
80409  
80410  
80411  
80412  
80413  
80414  
80415  
80416  
80417  
80418  
80419  
80420  
80421  
80422  
80423  
80424  
80425  
80426  
80427  
80428  
80429  
80430  
80431  
80432  
80433  
80434  
80435  
80436  
80437  
80438  
80439  
80440  
80441  
80442  
80443  
80444  
80445  
80446  
80447  
80448  
80449  
80450  
80451  
80452  
80453  
80454  
80455  
80456  
80457  
80458  
80459  
80460  
80461  
80462  
80463  
80464  
80465  
80466  
80467  
80468  
80469  
80470  
80471  
80472  
80473  
80474  
80475  
80476  
80477  
80478  
80479  
80480  
80481  
80482  
80483  
80484  
80485  
80486  
80487  
80488  
80489  
80490  
80491  
80492  
80493  
80494  
80495  
80496  
80497  
80498  
80499  
80500  
80501  
80502  
80503  
80504  
80505  
80506  
80507  
80508  
80509  
80510  
80511  
80512  
80513  
80514  
80515  
80516  
80517  
80518  
80519  
80520  
80521  
80522  
80523  
80524  
80525  
80526  
80527  
80528  
80529  
80530  
80531  
80532  
80533  
80534  
80535  
80536  
80537  
80538  
80539  
80540  
80541  
80542  
80543  
80544  
80545  
80546  
80547  
80548  
80549  
80550  
80551  
80552  
80553  
80554  
80555  
80556  
80557  
80558  
80559  
80560  
80561  
80562  
80563  
80564  
80565  
80566  
80567  
80568  
80569  
80570  
80571  
80572  
80573  
80574  
80575  
80576  
80577  
80578  
80579  
80580  
80581  
80582  
80583  
80584  
80585  
80586  
80587  
80588  
80589  
80590  
80591  
80592  
80593  
80594  
80595  
80596  
80597  
80598  
80599  
80600  
80601  
80602  
80603  
80604  
80605  
80606  
80607  
80608  
80609  
80610  
80611  
80612  
80613  
80614  
80615  
80616  
80617  
80618  
80619  
80620  
80621  
80622  
80623  
80624  
80625  
80626  
80627  
80628  
80629  
80630  
80631  
80632  
80633  
80634  
80635  
80636  
80637  
80638  
80639  
80640  
80641  
80642  
80643  
80644  
80645  
80646  
80647  
80648  
80649  
80650  
80651  
80652  
80653  
80654  
80655  
80656  
80657  
80658  
80659  
80660  
80661  
80662  
80663  
80664  
80665  
80666  
80667  
80668  
80669  
80670  
80671  
80672  
80673  
80674  
80675  
80676  
80677  
80678  
80679  
80680  
80681  
80682  
80683  
80684  
80685  
80686  
80687  
80688  
80689  
80690  
80691  
80692  
80693  
80694  
80695  
80696  
80697  
80698  
80699  
80700  
80701  
80702  
80703  
80704  
80705  
80706  
80707  
80708  
80709  
80710  
80711  
80712  
80713  
80714  
80715  
80716  
80717  
80718  
80719  
80720  
80721  
80722  
80723  
80724  
80725  
80726  
80727  
80728  
80729  
80730  
80731  
80732  
80733  
80734  
80735  
80736  
80737  
80738  
80739  
80740  
80741  
80742  
80743  
80744  
80745  
80746  
80747  
80748  
80749  
80750  
80751  
80752  
80753  
80754  
80755  
80756  
80757  
80758  
80759  
80760  
80761  
80762  
80763  
80764  
80765  
80766  
80767  
80768  
80769  
80770  
80771  
80772  
80773  
80774  
80775  
80776  
80777  
80778  
80779  
80780  
80781  
80782  
80783  
80784  
80785  
80786  
80787  
80788  
80789  
80790  
80791  
80792  
80793  
80794  
80795  
80796  
80797  
80798  
80799  
80800  
80801  
80802  
80803  
80804  
80805  
80806  
80807  
80808  
80809  
80810  
80811  
80812  
80813  
80814  
80815  
80816  
80817  
80818  
80819  
80820  
80821  
80822  
80823  
80824  
80825  
80826  
80827  
80828  
80829  
80830  
80831  
80832  
80833  
80834  
80835  
80836  
80837  
80838  
80839  
80840  
80841  
80842  
80843  
80844  
80845  
80846  
80847  
80848  
80849  
80850  
80851  
80852  
80853  
80854  
80855  
80856  
80857  
80858  
80859  
80860  
80861  
80862  
80863  
80864  
80865  
80866  
80867  
80868  
80869  
80870  
80871  
80872  
80873  
80874  
80875  
80876  
80877  
80878  
80879  
80880  
80881  
80882  
80883  
80884  
80885  
80886  
80887  
80888  
80889  
80890  
80891  
80892  
80893  
80894  
80895  
80896  
80897  
80898  
80899  
80900  
80901  
80902  
80903  
80904  
80905  
80906  
80907  
80908  
80909  
80910  
80911  
80912  
80913  
80914  
80915  
80916  
80917  
80918  
80919  
80920  
80921  
80922  
80923  
80924  
80925  
80926  
80927  
80928  
80929  
80930  
80931  
80932  
80933  
80934  
80935  
80936  
80937  
80938  
80939  
80940  
80941  
80942  
80943  
80944  
80945  
80946  
80947  
80948  
80949  
80950  
80951  
80952  
80953  
80954  
80955  
80956  
80957  
80958  
80959  
80960  
80961  
80962  
80963  
80964  
80965  
80966  
80967  
809